



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

19. Fuit olim mihi magna altercatio cum quodam Confessario, qui nolebat
absolutionem impendere cuidam viro Nobili, qui dubitabat, si emiserat
votum B. Virginis Lauretanæ, & per multum tempus non ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76432)

De Voto, & Juramento, &c Resol. XIX. &c. 55

RESOL. XIX.

Fuit olim mihi magna altercatio cum quodam Confessario, qui volebat absolutionem impendere cuidam viro nobili, qui dubitabat, utrum emisisset votum B. Virginis Lauretanae, & per multum tempus non adimplevit, neque adimplere volebat. Ex part. 2. tr. 17. & Misc. 3. Ref. 45.

§. 1. **P**ro dicto Confessario non desunt Authores, neque rationes. Nam Vasquez in p. 2. q. 19. c. 6. disp. 9. c. 3. & disp. 66. c. 1. Azor. p. 1. lib. 2. c. 18. q. 4. & lib. 1. c. 5. q. 2. Ioan. Salas in p. 2. q. 21. et al. 8. disp. unica, sect. 17. num. 162. Saytus in Clavi Regia lib. 1. c. 13. n. 9. & 36. & nouissime Turrianus in 2. 2. tom. 2. disp. 64. dub. 1. num. 6. asserunt in hac materia meliorem non esse conditionem possidentis: ducuntur primò, quia alias nullum præceptum obligaret in dubio, cum semper possidentis libertatem conditio potior esset. Secundo, ex cap. ad audientiam. & cap. significasti el secundo, ubi decernitur dubitantem dubio facti, nempe an homicidium commiserit, censendum esse irregularem.

2. Sed opinio contraria, tanquam probabilior tenenda est, & illam sequuntur Coninch. de Sac. disp. 34. dub. 10. num. 86. Sanchez de matr. tom. 1. lib. 2. disp. 41. n. 32. & in sum. tom. 1. lib. 1. c. 10. n. 11. Suarez in 3. p. tom. 1. disp. 40. sect. 5. n. 14. & sect. 6. n. 8. Rebullius de oblig. inst. p. 2. lib. 1. q. 2. sect. 2. Henricus lib. 1. c. 4. n. 4. & alij apud Sanchez ubi supra. Ratio est, quia possessio est titulus vniuersalis omnibus virtutibus, eo modo quo aliqua pars potentialis iustitiæ, vt obedientia Dei tranfcendit omnes virtutes. Ergo si suffragatur in materia iustitiæ, etiam debet suffragari in materia aliarum virtutum. Et sic expresse in dubio voti sentiunt Sotus de iust. lib. 7. quest. 3. art. 2. Medina in sum. lib. 1. c. 14. §. 7. Lop. in instr. p. 1. c. 4. §. dubitas de voto. Rodericus in sum. tom. 2. c. 49. n. 5. Henriquez lib. 11. de matrim. c. 11. n. 5. & lib. 8. de Eucharistia, c. 45. n. 3. in glossa littera P.

3. Ad argumenta contraria respondetur. Ad primum, negatur sequela, quia aliquando possessio est pro præcepto, & tunc in dubio obligat; v. g. constat de lege, vel præcepto: dubium autem est, an si in aliquo casu, ratione necessitatis, aut alterius circumstantiæ occurrentis eximatur aliquis ab obligatione, tunc tenetur ad obseruationem præcepti, quia lex tunc possidet, & ita dicendum est de voto in simili dubio. Ita Medina in p. 2. q. 96. art. 6. ad fin. propo. 3.

4. Ad secundum respondetur, quòd in dictis capitibus dicitur esse tutiorem partem eligendam, non quia in omni casu sit eligenda, sed solum in his casibus, in quibus superior præceperit esse eligendam; & sic illa capitula non faciunt contra nos, quia cum irregularitas sit ex iure humano, placuit Pontifici in ordinem reuerentiam, vt in hoc dubio, ab ipsis abstinere, non obstante possessione.

RESOL. XX.

An qui omnino non dubitat, sed magis in eam partem inclinatur, vt votum emisisset, teneatur illud adimplere? Et an in supradicto casu non integrè, sed ad partem pro ratione huius maioris propensionis teneatur? Idem est de dubitante in materia iustitiæ. Ex part. 4. tr. 3. Ref. 11.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondet Rebullius part. 2. lib. 1. quest. 2. sect. 2. & Filliucius tom. 2. tract. 21.

cap. 1. num. 165. & hunc teneri voto non integrè, sed ad partem, pro ratione huius maioris propensionis, docet Sanchez de matrim. tom. 1. lib. 2. disputat. 41. num. 4. & ratio est, quia maior inclinatio compensat sufficientem excessum possessionis, quam alter habet.

2. Verum ego contrariam sententiam teneo cura Garfia de benefic. tom. 2. part. 7. cap. 2. num. 23. Lorea in 1. 2. D. Thome disp. 38. membr. 3. Fernandez in exam. Theolog. moral. part. 1. cap. 2. §. 2. num. 4. Layman lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 4. num. 31. Castro Palao tom. 3. disp. 3. punct. 9. num. 2. asserentibus in tali casu dubitantem absolute non teneri ad votum; & ratio est, quia licet pro voto fortiores vigeant rationes, ita vt homo possidens libertatem in eam partem magis inclinet; si tamen non fuit ad hoc assensus, vt illius partis assensum generent, sed ad huc relinquant dubiam, certa alterius possessio huic inæqualitati præponderat. Et ita se retractans hanc sententiam tenet etiam Sanchez in summa tom. 1. lib. 1. cap. 10. num. 36. Et idem de dubitante in materia iustitiæ docuit Vasquez in 1. 2. disp. 66. cap. 7. n. 42 & Salas in 1. 2. tom. 2. tr. 8. disp. 1. sect. 23. n. 23. vt infra videbimus.

infra Ref. 23. §. Nota etiam, & in tom. 1. tr. 3. ex doctrina vbi 1. 8. §. 1. ad medium. vbi. Constat matur.

Infra Res. solutionibus, que hie sunt infra in tr. 7. ref. 40. 42. 43 & 44. & signanter in ref. 2. not. præterea in fine eiusdem §. & in aliis eius not. pro hac diffiç.

RESOL. XXI.

An aliquis, qui non æque dubitat, sed magis in eam partem inclinatur, vt votum emisisset, an inquam propter istam sufficientem voti teneatur ad illud adimplendum, non integrè quidem, sed ad partem pro ratione huius maioris propensionis? Ex p. 2. tr. 15. & Misc. 1. Ref. 9.

§. 1. **P**rima opinio Filliuc. in quest. mor. tom. 2. tr. 22. c. 4. n. 165. & Fernandus Rebullij de obligatione iustitiæ, p. 2. lib. 1. quest. 2. sect. 2. n. 10. ubi absolute asserit, quòd si quis ita dubitet, vt tamen verisimilis sit, votum fuisse emissum, tenetur sub mortali illud seruare; & hoc, ait, a nemine negatur.

Sup. hoc in Ref. præterita, & in aliis eius primæ not.

2. Secunda opinio est Sanchez de matrim. to. 1. lib. 2. disp. 41. n. 34. ubi ait, quòd si quis non dubitet, sed opinetur, se voluisse, ita vt magna sit determinatio iudicij ad hoc, tenetur ad votum adimplendum; si verò fuerit mediocris, diuidendam esse rem promissam, sicut de possidente rem opinatur, aut magis propendet esse alienam, diximus teneri diuidere, pro dubij qualitate, quia maior iudicij determinatio etiam cum formidine, sufficienter compensat excessum possessionis, quam alter habet. Hac ille, & alij.

3. Sed re melius considerata (& hæc si tertia opinio, cui tanquam probabiliori adhareo) postea in Decal. 1. 1. lib. 1. c. 10. n. 36. mutauit sententiam, & simpliciter docuit sic dubitantem ad nullam voti partem teneri, & absolute non esse obligatum ad illud votum; & vltra Sanch. ex parte, & Salas, quem ipse citat in p. 2. q. 2. tr. 4. disp. 2. nic. sect. 25. n. 254. tenet etiam nouissimè hanc opinionem Fernandez in exam. Theol. mor. p. 1. c. 6. §. 2. n. 4. & Martinus Bonacina in de leg. disp. 2. q. 1. punct. 1. num. 18. ubi asserit, quòd quando dubium est inæquale, ita vt dubitans magis propendeat in hanc partem, vt credat se votum emisisse; iudicandum esse in tali euentu in fauorem dubitantis. Ratio huius sententiæ est ista, quia possessio certa præualet rationibus inducentibus in partem oppositam, sed non generantibus assensum.

4. Quid sentiam, dicam breuiter. Omnes istæ tres opiniones sunt probabiles, & tutæ in praxi: vnde non bene asserit Rebullius, suam opinionem à nemine negari; & immeritò dixit Salas opinionem Rebullij esse falsam.